



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

In Præsentationis B.V. Mariæ solemnitate Epistolæ Paraphrasin &
Euangelij exegesin, offendes in conceptionis eiusdem Virginis festo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

T. VI
22

S. Martinus factus Episcopus quid egerit.

Securus.

Monachoru sancti Martini perfectio quia fuerit.

Acto. 4.

Securitas & felicitas S. Martini morientis quant.

de vita illius? Dicam ergo adhuc pauca, quia omnibus enarrandis nec totus dies sufficeret. Omnis autem, quæ ante susceptum Turonensium Episcopatum egerit, quædam ex illis quæ in Episcopatu gessit commemorabo. Itaque, ut ait iam dictus Seuerus Sulpitius, post Pontificatus susceptos honores, idem constantissimè perseuerabat, qui prius. En animum mundana omnia contemnentem, & in solo Deo immobiliter defixum. Eadem in corde eius perseuerabat humilitas, atque ita plenus autoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemq; desereret. Nos contra ad omnes mundi prosperos successus, ad omnem fortunæ blandientis auram insolescimus, & efferimur animis, nec vlla in nobis constantia est, nulla grauitas, nulla timoris Dei perseuerantia. S. Martinum Episcopatus dignitas nihil penitus à priori vitæ statu dimouit: nos verò verbulum vnum vel asperius, vel blandius prolatum aut exulcerat nimium, aut plus æquo emollit & dissoluit. Deinde cum frequentes nimium ad D. Martinum visitandū confluere, construxit coenobium extra ciuitatem in loco admodum solitario & aditu angusto: vbi discipulos habuit octoginta, ex quibus multi erant nobiles qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Ex his planè animaduertimus, quantus in sancto viro fuerit quietis, silentij & solitudinis amor: quantus horror mundani strepitus, quantus vitæ rigor, quanta sobrietas, quanta abstinentia, quanta vilitas & asperitas omnium ad vitæ vsum pertinentium. His nimirum confunditur vanitas, garrulitas, mollities, intemperantia, luxus, superbia, fastus & petulantia nostra. Quid hic commemorem illius plusquam stupendam patientiam, incredibile orandi assiduitatem, iustitiæ tenacitatem, & cæteras virtutes perfectissimè in eo relucentes? Omnia illius exempla nos accusant, nos reos faciunt, nos condemnant. Denique, cum moriendum esset, tanta mentis securitate migravit ad Dominum, ut futuræ gloriæ etiam in corpore eius signa manifesta apparerent. Nam facies eius ut sol respanduit. Multa & magna transiui studio breuitatis, quæ vos aliunde potestis haud pœnitendo fructu discere. His paucis quæso charissimi prouocemur ad virtutis studium, ad amorem Dei, ad omnia illa, quæ nos Deo gratos efficiant. Credite mihi, si in extirpandis vitijs colendisq; virtutibus operam studiumq; ponere conati erimus, & hic iucundam & tranquillam ducemus vitam, & post cum D. Martino & sanctis omnibus cælestia consequemur bona, quæ nobis promissi: Deus se timentibus & diligentibus, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

IN SOLENNITATE PRAESENTATIONIS
gloriosissimæ semperque virginis Mariæ. Epistolam cum sua Paraphrasi, itemque Evangelij Exegetin quare in Festo conceptionis eiusdem B. Virginis.

SERMO